

### Version latine n°8 : un acte irréversible

*Attis, dévot de Cybèle, sort de l'état de transe où il s'est castré : il/elle exprime ses regrets.*

« Patria o mei creatrix, patria o mea genetrix,  
ego quam miser relinquens, dominos ut erifugae  
famuli solent, ad Idae tetuli nemora pedem,  
ut apud niuem et ferarum gelida stabula forem  
et earum omnia adirem furibunda latibula,  
ubinam aut quibus locis te positam, patria, reor ?  
Cupit ipsa pupula ad te sibi derigere aciem,  
rabie fera carens dum breue tempus animus est.  
Egone a mea remota haec ferar in nemora domo ?  
Patria, bonis, amicis, genitoribus abero ?  
Abero foro, palaestra, stadio et guminasiis ?  
Miser a ! miser, querendum est etiam atque etiam, anime.  
Quod enim genus figuraest, ego non quod obierim ?  
Ego mulier, ego adolescens, ego ephebus, ego puer,  
ego gymnasei fui flos, ego eram decus olei ;  
mihi ianuae frequentes, mihi limina tepida ;  
mihi floridis corollis redimita domus erat,  
linquendum ubi esset orto mihi sole cubiculum.  
Ego nunc deum ministra et Cybeles famula ferar ?  
Ego Maenas, ego mei pars, ego uir sterilis ero ?  
Ego uiridis algida Idae niue amicta loca colam ?  
Ego uitam agam sub altis Phrygiae columinibus,  
ubi cerua siluicultrix, ubi aper nemoriuagus ?  
Iam iam dolet quod egi, iam iamque paenitet. »  
Roseis ut huic labellis sonitus citus abiit  
geminas deorum ad auris noua nuntia referens,  
ibi iuncta iuga resoluens Cybele leonibus  
laeuumque pecoris hostem stimulans ita loquitur.  
« Agedum » inquit « age ferox i, fac ut hunc furor agitet,  
fac uti furoris ictu reditum in nemora ferat,  
mea libere nimis qui fugere imperia cupit.  
Age caede terga cauda, tua uerbera patere,  
fac cuncta mugienti fremitu loca retonent,  
rutilam ferox torosa ceruice quate iubam. »  
Ait haec minax Cybelle religatque iuga manu.  
Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animo,  
uadit, fremit, refringit uirgulta pede uago.  
At ubi humida albicantis loca litoris adiit,  
teneramque uidit Attin prope marmora pelagei,  
facit impetum ; illa demens fugit in nemora fera ;  
ibi semper omne uitae spatium famula fuit.